

Neg. non magis quam solus homo subjectum est facultatis sensitivæ & progressivæ animalis. Est ergo per studia & externa media, & per internum auxilium gratiæ illuminantis ac coërcentis theologiae habitus in quibusdam reprobis & irregenitatis; sicuti etiam in illis potest esse fides quædam historicæ, aut πρόσκαιρος, item charismata seu gratiæ gratis datæ. Et hactenus convenit nobis cum Scolasticis ad I. qu. I. artic. 6. ad. 3.

**IX. Probl.** An eodem modo sit in regenitis & irregenitis; item an in utrisq; ejusdem speciei? **Resp.** Neg. distinguuntur enim radice seu radicali principio, & specifica ratione formalis, item fine operantis, & effectu non minus quam cognitio spiritu-alis & fides generalis, que quamvis in una ratione & forma generali convenient, proxima tamen seu propriâ formâ & specie secundum subjecta sua distinguiuntur. **Confer** 2. part. Select. Disput. tit. de Simplicitate & Hypocrisi. Quomodo cognitio Platonis & Pauli quod sit Deus, quod sit omnipo-tens, quod justus, &c. in una ratione generali con-veniunt, ratione tamen propriâ formalis *sub qua* dis-tinguuntur; quia ille cognoscit veritates illas sub ratione revelationis supernaturalis, iste sub ratio-ne revelationis naturalis: sic Theologia regeniti & verè fidelis, quamvis ipsa seu veritas ejus materia-liter & objective una eademque sit; specie tamen & forma differt à Theologia irregeniti: quia ob-jectum formale, seu ratio formalis *sub qua*, quæ est revelatio salutaris & principium formale, illumi-natio scil. spiritus regenerantis & sanctificantis, ut & finis intendentis atque operantis causæ scil. pri-mæ & secundæ, & consequenter effecta propria-toto cœlo distinguuntur, actus scil. resipiscientiæ, fiduciæ